



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

De Libris Canonicis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

Sæcul. XVI. rantem Ecclesiam dixerit, non modo hæresim
A. C. 1528. dixisse, sed hæresum omnium puteus fuisse
judicetur.

De Auctoritate S. Conciliorum.

Tertium Decretum declarat: Absurdum videri, si tanto studio Deus veteri Synagogæ adsuit, ut si quid in lege difficile vel ambiguum occurreret, quod citra controversiam a iudicibus absolvi non posset, designato tamen cætu non careret, cujus arbitrio res tota finiretur, Ecclesiam tamen longe Synagoga potiore ita necessariis destituat auxiliis, & prorsus non habeat, cui suborta de fide quæstione tuto satis inniti possit. Proinde cum certa sit, & infallibilis Ecclesie regula, ea profecto sacris generalibus Conciliis auctoritas derogari non potest, quæ proxime universalem repræsentant Ecclesiam. His igitur ea decernendi, quæ ad sinceritatem fidei, extirpationem hæresum, Ecclesie reformationem, & morum integritatem pertinent, potestas adimi nequit. Sancta itaque & inviolabilis est Conciliorum universalium auctoritas, cui quisquis pertinacius refragatur, hostis fidei jure optimo censeri debet.

De Libris Canonicis.

In quarto Decreto ita statuitur: Cum non humana voluntate allata sit Prophetia,

tia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sint Sæcul. XVI.
 sancti Dei homines, omnis Scriptura divini- A C. 1528.
 tus inspirata utilis sit ad docendum, arguen-
 dum, ad corripiendum, & ad erudiendum.
 Ast nihil minus mutilum, & prorsus invali-
 dum esset argumentum ex Scripturis sum-
 ptum, si pro cuiusvis arbitrio, quod addu-
 ctum fuerit, sacrum aut profanum, canoni-
 cum aut apocryphum habeatur. Obortis igitur
 de fide dissidiis frustra sæpe Scriptura
 consulitur, nisi Ecclesie certa & infallibilis
 litem dirimat auctoritas, quæ Canonicum li-
 brum ab apocrypho, Catholicum sensum ab
 hæretico discernat. In enumerandis itaque
 Canonice Scripturæ libris, qui præscriptum
 Ecclesie usum & auctoritatem non sequitur,
 sacrum Carthaginense Concilium tertium,
 Innocentii, & Gelasii decreta, & denique
 definitum a S. Patribus librorum Catalo-
 gum respuit, aut in exponendis Scripturis
 proprii Spiritus iudicium sequitur, is veluti
 schismaticus ac hæreticus reprimatur.

De Traditione.

Quintum Decretum concernit Tradi-
 tiones, earumque necessitatem,
 atque auctoritatem confirmat, eoquod
 S. Paulus eas non tantum traditiones jubet a *Epist. 2. ad*
 Thessalonicensibus observari, quas per *Epist. Thess. c. 2. v.*
 Iohannem, sed etiam quas per omnem sermonem *15.*
 didicissent. Neque prætermisisse putandus est *I. Cor. c. II.*
v. 34.
 cetera,